

terquam in casibus à jure expressis , concessas , ad annum tantum suffragari.

13. Exprimitur in tertio decimo , quod præsentati , seu electi , aut nominati à quibusvis ecclesiasticis personis , etiam & Sedis Apostolicae Nunciis , ad quacunque beneficia , non instituantur , nec confirmantur , nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati , & idonei reperti , præsentatis ab Universitatibus seu Collegii Generalium Studiorum exceptis.

14. Quartumdecimum decernit , in Exemptorum causis Constitutionem Innocentii IV. servandam , quæ incipit : *Volentes* , in Concilio Generali Lugdunensi editam . In causis civilibus mercedum , miserabiliumque personarum statutum in præsenti decreto est observandum.

15. Innuit quintumdecimum , quod Ordinarii curent , ut hospitallia fideliter , & diligenter gubernentur ab administratoribus , servata formâ Constitutionis Concilii Viennensis incipientis : *Quia contingit*.

SESSIO OCTAVA.

Ad Octava Sessio die 11. Martii celebrata , anni 1547. continet Decretum de translatione Concilii à Tridentina in Bononiensem Civitatem , plerisque de causis expressis in ipso decreto ac diplomate Sanctissimi Patris nostri Pauli Papæ 3. Romæ expedito , anno 1544. octavo Kalend. Martii , sui Pontificatus anno undecimo.

SESSIO NONA.

Proponitur nona Sessio Bononiae habita die 21. Mensis Aprilis , anno 1547. quæ prorogationis Sessionis decretum promit. Cùm enim Concilium e Tridentinâ ad Bononiensem Urbem translatum fuisset , nondum Patres omnes advenerant , aliisque de causis , quas ipsum recenset decretum.

SESSIO DECIMA.

Decima , novissimaque Sessio Bononiae sub Paulo 3. absoluta , sub diem secundam Junii , anno 1547. refert decretum prorogationis Sessionis. Haec tenus de Sessionibus sub Pauli III. Pontificis Maximi opera , & auspiciis celebratis ; apud Tridentinam , & Bononiensem Civitatem.

SES-

SESSIONES CELEBRATÆ SUB JULIO III.
Pontifice Maximo.

Beatissimo Patre ac Domino nostro Paulo III. è vivis sublato 4. Idus Decembris , anno 1549. in Supremam Sedem suffectus est Julius ejusdem nominis tertius , Bullamque reassertionis Concilii Tridentini expedivit Romæ anno 1550. in eandem Tridentinam Civitatem Concilium revocando.

SESSIO UNDECIMA.

Undecima Sessio , prima Julii III. Tridentini expleta Kalendis Maii , anno 1551. decretum indicit de resumendo Concilio , sive de ejus translatione e Bononiensi urbe ad Tridentinam.

SESSIO DUODECIMA.

Sessio duodecima profert decretum prorogationis Sessionis. Adveniente namque die designato , nondum venerant universi Patres , & desiderabatur assistentia utriusque Maximi Præfusis , & Moguntini , & trevirensis Sacri Romani Imperii Electorum.

SESSIO TERTIA DECEMIMA.

Tertiadecima Sessio Tridenti expedita 11. die Octobris , anno 1551. promit decretum de Sanctissimo Eucharistia Sacramento , quod intendit omnibus Christi fidelibus , ne posthac de Venerabili Eucharistiæ Sacramento aliter credere , docere , aut prædicare audeant , quam ut est , hoc præsenti decreto explanatum , diffinitumque.

Octo Capita exambit præsens gravissimum decretum , undecimque similiter Canones ab ipsis emanantes. Item subnecit Decretum aliud de Reformatione , & Prælatorum officio , per octo etiam capita divisum. Postremò , tertium producit decretum pro Sessionis calce , prorogationis quippè , definitionis quatuor Articulorum de Sacramento Eucharistie , & salvi Conductus Protestantibus erogandi.

PRÆSENTIS SESSIONIS EXPENDUNTUR CAPITA.

1. **I**n primo disseritur de reali præsencia Domini nostri Jesu Christi in Auguſtissimo Eucharistia Sacramento. Ubi per consecrationis verba constituitur Christus Dominus verus Deus & homo sub speciebus

Min 2

pa-

panis & vini; quin dexteram Patris in Cœlis deserat, sed verè in duobus, aut pluribus sit rite præsens locis.

2. In Secundo agit de ratione institutionis hujus Sanctissimi Sacramenti. Ideo enim instituit, ut divitias sui amoris in nos effunderet, & memoriam suorum mirabilium relinqueret, dum discessurus erat ex mundo ad Patrem. Reliquit etiam ut cibum spirituale, quò reficiantur animæ, aliisque de causis.

3. Tertium sermonem habet de Excellentia Sanctissima Eucharistie pra reliquis Sacramentis. Quia, et si in esse symboli rei sacræ, & invisiibilis gratiæ visibilis formæ, aliis cohæreat Sacramentis; tamen alia tunc primò sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: At in Eucharistiæ, ipse sanctitatis Author ante usum est. Unde, & ejus eminentia excellentia, cum totus & integer Christus sub panis specie, & sub quâvis ipsius speciei parte; necnon & totus sub vini specie, & sub ejus partibus existat.

4. Quartum disputat de Transubstantiatione, in quò Sancta Synodus declarat, per confectionem panis & vini conversionem fieri totius substanciæ panis in substantiam Corporis Christi Domini; & totius substanciæ vini in substantiam sanguinis ejus; que conversio propriè ac convenienter transubstantiatio appellatur.

5. Quintum de cultu, & veneratione huic Sanctissimo Sacramento exhibendo loquitur. Ubi latræ cultum Supremo Numini debitum exhibendum fore præmittit Augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Commendat consuetudinem celebrandi singulis annis hanc festivitatem, processionesque faciendi, quibus adorable Sacramentum per vias publicas, & plateas honorifice, & plausibiliter circumferatur.

6. Determinat in Sexto de asservando sacra Eucharistiæ Sacramento, & ad infirmos deferenda. Afferit igitur, antiquissimum esse morem asservandi in sacrario. Similiter provisum fore, & præceptum in quampluribus Conciliis, quod ad infirmos pro viatico deferatur.

7. In septimo decernit de preparacione, quæ adhibenda est, ut diligenter quis sacram Eucharistiam percipiat. Monet itaque fideles, ut profundi reverentia, perfectaque sanctimoniam ad sacram synaxisi accedant: Illa enim Apostoli eloquia timenda sunt valde: Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, &c. non dijudicans Corpus Domini. Itaque nullus sibi peccati mortalis conseitus, quantumvis sibi contritus videatur, non præmissâ sacramentali confessione, Eucharistiam adire ullatenus audeat.

8. Tractatur in octavo Capite de usu hujus admirabilis Sacramenti.

Ubi

Ubi triplicem rationem Sacramenti Eucharistiae suadentem receptionem, proponit. Tandem ait, quod in sacramentali sumptione semper fuit mos in Ecclesia Dei, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsoz communicarent.

9. Postremò, ex hisce capitibus undecim deducit Canones, de quibus postmodum singillatim erit sermo, ut fideles radicis cognita catholicæ doctrinæ, intelligent, quænam ab illis hæreses caveri, vitari que debeant.

DECRETUM DE REFORMATIONE IN OCTO DIVISUM capita proponit.

1. Primum claudit rationem de officio Prælatorum in subditorum correctione, hortaturque Episcopos, ut se pastores, non persecutores esse, meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non eis dominentur, sed illos, tanquam filios, & fratres diligent. In causis visitationis, & correctionis, necnon etiæ in criminalibus appellari non posse ab interlocutoriis tenet, nisi gravamen contineat irreparabile per diffinitivam, vel ab ipsa sententiâ definitivâ appellari non possit.

2. Secundum determinat, cui sit committenda appellationis causa in criminalibus. In his ergo appellationis causa à sententiâ Episcopi, quando Metropolitatio, & quando uni ex vicinioribus Episcopis, eorumve Vicariis, & non inferioribus fit deferenda, statuit.

3. Resolvit in tertio, Quid in appellationibus criminalium servandum? Videlicet, quod acta primæ instantiæ intra triginta dies dantur gratis reo appellanti, ut coram judice, ad quem appellavit, prout iustitia suaserit, terminetur causa.

4. Præcipitur in quarto hujusmodi: Quando certus Episcoporum numerus à jure requisitus non potest assister Episcopo deponenti, ac degradanti clericum, assistant totidem Abbates ejusdem diœcesis, quibus assistere non valentibus, assistant personæ aliqui indignitate constituta.

5. Præmittit quintum, gratias mendaciis, caussique fictis, aut taciturnitate extortas pro remissione peccati, aut poenæ, ad quam criminolus fuerat condemnatus, revocet is, qui gratiam fecisse videatur.

6. Sextum ordinat, quod Episcopi nequaquam citentur, aut monentur, ut personaliter compareant, nisi ob causam ex qua deponendi, aut privandi venirent.

7. Septimum recenset, testes in causâ criminali ad informationem, vel iudicia, seu alias in causâ principalî contra Episcopum, quibus qua-

qualitatibus prædicti esse debeant, iisque carentes, gravibus peccatis mulctandos.

8. Octavum disponit, quod causæ Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice referantur, & per ipsum terminentur.

9. Tandem continet decretum prorogationis diffinitionis quatuor Articulorum de Sacramento Ecclesiæ, & Salvi Conductus Protestantibus dandi. Hi etenim erant Articuli. Primo: *An necessarium sit ad salutem, divinoque jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum Venerabile Sacramentum accipiant?*

10. Secundò: *An minus sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque specie communicat?* Tertiò: *An erraverit Sancta Mater Ecclesia, Laicos, & non celebrantes Sacerdotes, sub panis specie duntaxat communicando?* Quartò: *An parvuli etiam communicandi sint?*

SESSIO QUARTA DECIMA.

Proponitur quartadecima Sessio, tertia sub Julio III. celebrata die 25. Mensis Novembris, anno 1551. miram complectens doctrinam de sanctissimis Pœnitentiæ, & Extremæ-Unctionis Sacramentis. Circa Pœnitentiæ, novem capitulis absolutam, insuper & quindecim Canonibus ab illis deductos: Circa Extremam-Unctionem, tribus tantum Capitibus, quatuorque Canonibus ibidem subillatis, comprehensam. Tum, quoddam super his de Reformatione decretum per tredecim Capita partitum.

SUMMA CAPITUM PRÆSENTIS SESSIONES.

1. In primo disserit de necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentia. Nam pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam, necessaria fuit. Cujus institutionem etiam statuit ex verbis illis Christi Domini, cum à mortuis excitatus, insuflavit in Discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

2. In secundo pertractat de notabili discrimine Sacramenti Pœnitentia, & Baptismi. Quorum longissimum dissidium ex materia, formâ, fructu, Ministro, aliisque clare deprehenditur. Est enim Pœnitentia Sacramentum lapsis, post Baptismum, necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

3. In tertio de partibus, fructuque Pœnitentia Sacramenti disputat;

ubi

ubi formam illius, ejusque partes recenset, his verbis: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius penitentis actus, nempe contritione, confessio, & satisfactio.* Unde, eorum sententias daret, qui Pœnitentiæ partes, incusos conscientiæ terrores, & fidem esse contendant.

4. In quarto de contritione determinat, quæ primum inter pœnitentis actus locum tenet, ejusque primò diffinitionem hâc verborum serie adducit: *Animi dolor ac desistatio de peccato commissio, cum proposito de non peccando de cætero.* Secundò docet, et si contritionem hanc aliquandò charitatem perfectam esse contingat, hominemque Deo conciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiat; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam. Tertiò, contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, quanvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.

5. In quinto de Confessione quamplura scitu digna aperit, statuitque peccata omnia mortalia à pœnitentibus in confessione detegenda fore; venialia verò à pœnitenti omitti posse. Postea de circumstantiis speciem mutantibus, annua secretaque confessione, & quo jure divino, aut humano sit necessaria, resolvit.

6. In sexto de Ministro Sacramenti pœnitentia, ejusque sacramentali absolutione pertractat. Ubi solum Episcopis, & Sacerdotibus clavium Sacramenti pœnitentiæ ministerium est traditum. Absolutio verò, est ad instar actus judicialis, quod à Sacerdote, veluti à judice, sententia pronunciatur.

7. In septimo de casuum reservatione multa congerit, nullius nempe momenti absolutionem eam fore debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Unde consentaneum his tenet, Pontificem Maximum posse sibi respectu omnium reservare casus; necnon Episcopos in suis diocesis bus posse. In articulo verò mortis, nulla est reservatio; ideoque omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.

8. In octavo de satisfactionis necessitate, fructuque pulchre disserit. Hic etenim Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pena condonetur. Itaque Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminis, & pœnitentium faculta-

ta-

tate, salutares, & convenientes satisfactiones injungant.

9. In nono, ultimoque capite de Satisfactionis operibus fusè & discrete disceptat. Non solum penit, spontè à nobis pro vindicando peccatis susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro delicti mensurā impositis satisfieri decernit: verum & flagella inficta in hac vitâ à Deo, si patienter tolerentur, satisfactoria esse pro peccatis.

EXTREMÆ-UNCTIONIS SACRAMENTI DOCTRINA.

detectitur.

1. Cuncta & mira de Extremæ-Unctionis Sacramento doctrina, sub tribus capitibus comprehensa, sic à Sacra Synodo per bellè expenditur.

2. Caput primum, institutionem, materiam, formamque Sacramenti Extremæ-Unctionis exambit. Nam à Christo Domino institutum extat, eò quod apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum vero fidelibus commendatum, ac promulgatum reperitur. Ejus materia est oleum ab Episcopo benedictum; forma autem verba illa: *Per istam sanctam unctionem, &c.*

3. Caput secundum, hujusmodi Sacramenti effectum proprium, sub his verbis comprehensum, detectit: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.*

4. Caput tertium, de Ministro præfati Sacramenti, & tempore, quo conferri debeat, venustè differit. Proprios hujus Sacramenti Ministros esse Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos, ostendit Concilium. Similiter declarat, hanc esse infirmis adhibendam unctionem, illis vero, qui in exitu vitae constituti videantur. Si autem post hoc Sacramentum susceptum, convaluerint infirmi, iterum ejusdem Sacramenti subsidio juvari poterunt, dum in aliud simile vitæ discri-
men inciderint.

5. Adhæc, ex novem capitibus de Sacramento Pœnitentia supra appositis, quindecim Santa Synodus sacros dedit Canones. Pariter ex his tribus Extremæ-Unctionis Sacramenti capitibus, quatuor etiam debito ordine Canones profert.

DECRETUM DE REFORMATIONE 13. EXAMBIENS.

Capita.

1. Mpræsentiarum sedulò adhortatur Concilium, quod Clerici Lai-
cos in vita, sicut in officio ac dignitate præcedant. Hocque de-

reformatione decretum, tria supra decem satis decorè comprehendit capita.

2. In primo expendit, prohibitos ascendere ad ordines, si ascen-
dant; & suspensos, interdictosque, si malè se gesserint, à proprio Præ-
lato punire debere.

3. In secundo, quod nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis, ordinare præsumat. Qui enim ab his ordinantur titularibus Episcopis, sine proprii Ordinarii licentiâ, ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Præ-
lato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.

4. In tertio decernit, Episcopum suos Clericos, præsertim in sa-
cris constitutos, ab alio male promotos, non ante posse admittere ad
officia celebranda, quam eos suo prævio examine dignos judicaverit.

5. In quarto resolvit, nullum Clericum liberum fore à correctio-
ne Episcopi residentis, etiam extra visitationem agentis, tanquam sit
deputatus à Sede Apostolicâ.

6. In quinto declarat, in quibus conservatoriæ litteræ vim ha-
beant; an in civilibus, an vero in mercedum, aut miserabilium Personarum causis; an demum liceat Conservatoribus judicibus habere tribu-
nal erectum? Hoc decretum Universitatibus, Collegiis Doctorum, hos-
pitalibus locis, & aliis ibi expressis non officit.

7. In sexto, de honestate in vestibus à Clericis servandâ agit; quia
etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen omnes ecclesiasti-
cas Personas honestum habitum clericalem, illorum ordini, & digni-
tati congruentem, indueri, sub penitentia impositis.

8. In septimo, quod voluntarius homicida, quantumvis occultus,
omni ordine ac beneficio careat; casualis autem, aut vim vi repellens
ex causâ, ab Ordinario loci aut Metropolitanâ, cognitâ causâ ac pro-
batis precibus, dispensemetur.

9. In octavo expendit, Episcopum potentem ex privilegio punire
subditos alienos, non posse penitentem vexare Clericos alienos reos crimi-
num, etiam arrociū, nisi proprii Clericorum Episcopi, aut personæ
ab eo deputandæ interventu.

10. In nono consentaneè his detectis, beneficia unius Diœcesis be-
neficis, Monasteriis, Collegiis, vel piis locis alterius diœcesis per-
petuò non uniri.

11. In decimo decernit, quod beneficia regularia, non nisi Re-
gularibus acti, aut qui esse debeat, conferantur; ne vestem lino, la-
nâque contextam aliter induant.

12. In undecimo similiter statuit, ut ad professionem nullus admittatur, nisi in ordine, ad quem transfertur, utque sub obedientia maneat, & beneficiorum sacerdotalium, etiam Curatorum prorsus incapax existat.

13. In duodecimo ordinat, quod jurispatronatus munus duntaxat verè ac propriè obtinet, qui competenter ex suis dotat, aut de novo Ecclesiam, beneficium, sive capellam fundat. In casu autem fundationis, aut dotationis, hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

14. In decimotertio præcipit, præsentandum esse beneficiandum ipsi Ordinario, alias institutio, & præsentatio, etiam cuiusvis privilegii prætextu, irrita & nulla censemur.

SESSIO QUINTA DECIMA.

Sessio decimaquinta sub Julio III. celebrata die 25. Januarii, anno 1552. solum complectitur decretum prorogationis Sessionis, nec non Salvum Conductum Protestantibus concessum, amplioris vero formæ, quam primum ipsis exhibitum.

SESSIO DECIMASEXTA.

Sessio decimasexta, & ultima sub Julio III. die 28. Aprilis, anno 1552. fœliciter expleta; comprehendit decretum suspensionis Concilii per biennium, ob graves notoriasque causas in eodem decreto contentas. Postea vero Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IV. per suas Apostolicas litteras sustulit suspensionem.

SESSIONES SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO celebratæ.

SESSIO DECIMASEPTIMA.

Decimaseptima Sessio, primaque sub Pio IV. Pontifice Maximo auspicatissime absoluta die 18. Januarii, anno 1562. profert solummodo decretum de celebrando Concilio post illius suspensionem nuper recensitam.

SESSIO DECIMA OCTAVA.

Sequitur decimaoctava Sessio sub Pio IV. habita, die 16. Februario, anno 1562. quæ addit decretum de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis; præsertim pro natione Ger-

ma

manicā, aliisque, ubi publicè, & impunè prædicatur, vel docetur, sive creditur contrarium ejus, quod Sancta Romana Ecclesia sentit, fidem publicam, sive Salvum conductum præstat.

SESSIO DECIMANONA.

Decimanona Sessio sub Pio IV. perfecta ad diem 24. Martii, anno 1562. profert decretum prorogationis Sessionis, nonnullis iustis ac honestis de causis.

SESSIO VIGESIMA.

Vigesima Sessio Pii IV. auspiciis absoluta, die 4. Junii, anno 1562. duntaxat comprehendit decretum prorogationis Sessionis, ob varias difficultates, diversis ex causis ortas; atque etiam, ut congruentius, majorique cum deliberatione cuncta ibi peragenda procedant.

SESSIO VIGESIMAPRIMA.

Vigesimaprima, quintaque sub Pio IV. celebrata Sessio die 16. Julii, anno 1562. perstringit de Communione sub utrâque specie, & parvolorum doctrinam. Ibi enim cunctis Christi fidelibus interdict Concilium, ne posthac de his aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quam in decretis extat explanatum, diffinitumque. Quatuor tantummodo recenset capita, & ex ipsis totidem facros Canones promit. Tandem decretum de Reformatione in novem partitum capita amplectitur.

SERIES CAPITUM HUJUS SESSIONIS.

1. **P**rimo ergo in capite declarat Concilium, Laicos, & Clericos non confidentes, non astringi jure divino ad Eucharistia: Sacramentum sub utrâque specie sumendum; neque illo pacto, salva fine dubitari posse, quin illis, alterius speciei communio ad salutem sufficiat.

2. In secundo similiter expendit, potestatem circa dispensationem Sacramenti Eucharistia: perpetuo in Ecclesiâ eluxisse, ita, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expere dire judicaret.

3. In tertio insuper statuit, totum integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi; ac propterea, quoad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos fraudari, qui unam spe cim solam accipiunt.

Nn 2.

In